

Hermann Becker

Rectore Academiæ Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino, Domino Friderico, Principe Hereditario Mecklenbvrnico ... Sacrvm Resvrrrectionis Christi Festvm Devote Celebrandvm Indicit, Atqve Solatii Plenam Christi Exaltationem e Philipp. II,9.10.11 Pio Animo Contemplandam, Pro Officii Ratione, Civibvs Academicis Commendat

Rostochii: Typis J. J. Adleri, [1750?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876760752>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1750. Ostern

~~M-1256.~~ 306.

off. 1750.

RECTORE
ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
PRINCIPE HEREDITARIO MECKLENBURGICO,
VANDALORVM, SVERINI AC RACEBURGI, COMITE
ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII
ET STARGARDIÆ DOMINO,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO

SACRVM
RESVRRECTIONIS CHRISTI
FESTVM

DEVOTE CELEBRANDVM INDICIT,
ATQVE

SOLATII PLENAM CHRISTI EXALTATIONEM
e Philipp. 11, 9. 10. 11.

PIO ANIMO CONTEMPLANDAM,
PRO OFFICII RATIONE,

CIVIBVS ACADEMICIS
COMMENDAT


HERMANNVS BECKER,

LL. D. ET P. P. O. SENAT.
ACAD. p. t. PRO-RECTOR.



ROSTOCHII,

TYPIS J. J. ADLERI, SEREN. PRINC. AVL. ET ACAD. TYP.



M. 1256 306



Recolimus, Cives Honoratissimi! læto hoc resurrectionis Christi festo, maximorum certe, quæ e nova, eaque gloriosa, redemptoris nostri vita ad nos redundant, beneficiorum memoriam. Rediit enim e sepulcro mortis & inferni victor, nostræque libertatis adsertor; *resuscitatus per gloriam Patris, Rom. VI, 4 propter nostram justitiam, Rom. IV, 25. dux vitæ, Act. III, 15. habens claves mortis atque inferni, Apoc. I, 18.* Non amplius nostris peccatis onustum, & pro his victimam cruentam factum, severissima almi Patris ira pressum, carcinomatum orbis sputo, flagellorum vibicibus, coronæ spineæ contumelia, vulneribusque sanguinem stillantibus deformatum, e cruce pendentem, immo, exhaustis viribus, misere morientem, sindone & carbaso vincitum, in sepulcro delitescentem, illum; sed vivum, triumphantem, gloriosum, veteratorii serpentis conculcatorem invictum, conspiciamus; & cum paulo post, quam mortis vincula fregit, cælum occupavit, confederitque ad dextram DEI Patris, futurus orbis iudex tremendus, regem eum & dominum supra omnia adoramus. Quantane isthæc catastrophæ! Infima humilitas vertitur in summam majestatem, servi forma in formam DEI, clausa morte oculorum lumina vertuntur in vultum igne flammantem, *cujus aspectu cælum fugit, nec terræ locus reperitur, Apoc. XX, 11,* crux ignominiosa vertitur in tropæum, ipseque mactatus DEI agnus in *leonem de tribu Juda, Apoc. V, 5.* Duo nimirum sunt Christo redemptori nostro, secundum humanam naturam spectato, vitæ status: alter humilitatis, servitutis, laboris, & meriti; alter honoris

honoris, gloriæ, & dominii. Priore statu vixit in his terris, posteriore sine fine vivit in cælis. Priore factus nobis est expiator, & sacerdos; posteriore rex & tutator. Prior, cui in hac vita nos similes fieri oportet, *exinanitionis*; posterior, cujus participes in illa vita erimus, *exaltationis* dicitur. Vtrumque redemptoris nostri statum perspicue tradit gentium doctor *Philip. II, 6-11*. Quare, cum festo sospitatoris nostri natali hujus oraculi commata 6. 7. 8. meditationibus vestris optimi Cives! commendavi, & ad exinanitionem, nobis adeo meritoriam, respiciens, imitationem humilitatis Christi proposui (*) lato hoc resurrectionis ejus festo, ejusdem oraculi commata 9. 10. 11. piæ vestræ meditationi, & ad hauriendum e Christi exaltatione dulce solatium, commendare constitui. Breviter illud & simplici commentatione persequar.

Apostoli hæc sunt, e versione Seb. Schmidii, verba: *Propterea etiam DEVS ipsum exaltavit, & donavit ipsi nomen, quod supra omne*

(*) In programmate natali excitatum dictum Paulinum pertractanti non illa mihi mens fuit, quod putarem, agi in eodem de incarnatione Filii DEI, seu assumptione humanæ naturæ; quasi in illa, quam ad actum unionis personalis pertinere fateor, exinanitio Christi sit, vel ex parte, concipienda: sed ex illa, quam apostolus docet, exinanitione, quæque, tamquam accessorium, cum ipsa tamen humanitatis Christi formatione cæpit, consecrarium prædicum: de humilitatis Christi, nobis observanda imitatione, prælucente ipso Apostolo v. 5. volui commendare. Ceterum, si propositionem unam, alteramve formavi, mysteriosæ, de exinanitione Christi, doctrinæ fortassis non accurate respondentem, nec *formæ DEI & formæ servi* subjectum & prædicatum exacte satis constitui, aut distinxit, calamo id, ab expedienda tunc plura, festinanti, & in scribendis rebus theologis minus exercitato, benevolus lector ignoscat. Nihil enim, quod sanæ fidei doctrinæ repugnet, corde premere, aut scripto proferre sciens volui. Doleo insuper, typographi negligentia & errore, in eodem programmate pag. 3. legi: *realem dari in personis divinis substantiæ diversitatem*. Legi enim debere: *substantiæ diversitatem*, æquo lectori facile patebit; quum secus in una, & eadem propositione nihimet ipsi contradicere voluisse, credendus essem.

*omne nomen est: ut in nomine Jesu omne genu se flectat supracœlestium, terrestrium, & subterraneorum; & omnis lingua confiteatur, quod Dominus sit Jesus Christus, in gloriam DEI patris! An particula, quam cum LUTHERO, SCHMIDIVS causalem, & nuper D. HEY-MANNVS: dafür, reddidit causalis sit, an eventualis, & nudæ consequentiæ? Theologis arbitrandum relinquimus. Neutra sententia patronis destituitur. Qui nudam ordinis consecutionem urgent, quod exantlatum exinanitionis statum, exceperit status exaltationis, cavere hoc ipso volunt sophisticam Socinianorum: passione & morte sua Christum neutiquam nobis, sed sibi ipsi, meruisse, conclusionem. Qui significatum causalem admittunt, ad *Jes* LIII, 11. 12 ubi talis particula pariter occurrit, & ad pactum aliquod Patris cum Filio provocant, ostenduntque, Socinianos ex prædictis Apostoli verbis pro se plane nihil lucrari. Nec ulla ratione sequitur: Si spontaneam exinanitionem, obedientiam, passionem &c. Christi hominis Summus Pater exaltatione & gloria remuneratus est; exinanitio & passio Christi non potest esse hominibus salutifera & meritoria. Sed his non immorabimur. Subjectum *exaltans*, docente Apostolo, DEVS est, hinc ipsa etiam secunda Deitatis, cum Patre & Spiritu Sancto ejusdem numero essentia, persona. Subjectum *exaltatum* est Christus, secundum humanam naturam, secundum quam antea exinanitus erat, & e mundo postea exibat ad Patrem *Joann.* XVI, 5. XVII, 11. 12. Quemadmodum unitio personalis non humanæ, sed hanc perficientis, & sibi adfumentis, ἡ λόγος, & divinum opus erat, *Joan.* I, 14. *Ebr.* II, 16.; ita exaltatio humanæ naturæ, quamvis vi unionis personalis, exinanitione exspirante, necessaria esse videatur, opus pariter divinum, *Jes.* LIII, 12. *Joan.* XII, 28. & summum, quo humana natura, quæ in se considerata, finita est, perfici poterat, beneficium spectari debet. Ipse Dominus Messias, in quantum homo est, hanc summæ glorificationis manifestationem a Patre petit, *Joan.* XVII, 1. 5. acceptam refert, *Joan.* V, 26. 27. *Matth.* XXVIII, 18. & humillime deprædicat, *Pf.* VIII, 5. 6. Sicut ergo Apostolus cum his, & *Pf.* CX, 1. *Jehovah* dixit domino meo &c. conspirans, summam Christi hominis evectionem tribuit DEO ejusdem, *Ephes.* I, 17. 20; ita rectissime etiam hoc loco ait: DEVS ipsum exaltavit!*

Status

Status *exinanitionis* conspicitur in externo, quo Christus utebatur, habitu, in infirmitatibus communibus physicis, hujusque vitæ incommodis, in pauperie, fatis adversissimis, mortē denique ipsa, susceptis. Quo ipso etiam a majestatis, quam ubique, & in omnibus, poterat præ se ferre, usu, sapius & sponte abstinuit, & legi, cujus tamen dominus erat, se subjecit. Status *exaltationis*, ergo manifestatur in vita nova, & propria virtute resumta, *Johan. II, 19. X, 18.* æterna, mortis omnino nescia, *Rom. VI, 9*; in carnis glorificatione, & ad dextram DEI evectione, *Marc. XVI. 19. Ephes. I, 20. Ps. CX, 1,* in usu majestatis divinæ plenario, haud limitato, aut unquam cessante, dominio tandem & administratione triplicis regni, cumprimis ejus, quod gratiæ est, in salutem ecclesiæ, suo sanguine partæ. *Ephes. I, 21. 22. Coloss. I, 18. Ps. VIII, 7. 8. 9.* Incipit ergo exaltatio Christi in viuificatione, & progreditur per descensum ad inferos, *1 Petr. III, 19.* resurrectionem e sepulcro, ascensionemque in cælos, *Act. I, 9. 10. Ps. XLVIII, 6. LXVIII, 19.* velut per distinctos gradus, ad sessionem ad dextram Patris, hoc est, capeffendum summum in universam creationem regimen, omnipotenter, & omnipræsenter, præcipue in salutem ecclesiæ, *Zach. VI, 13.* administrandum. De his plenius consulantur Theologorum systemata. Regiam autem hanc Christi gloriam, & excelsum dominium Apostolus, excitato nostro loco, adpellat: *Dominationem nominis, quod supra omne nomen est!* Non, quod ad certum, quo compellari rex noster a nobis debeat, nomen, seu honoris titulum, respiciat; sed, quod ipsam potius majestatem, & supremam eminentiam, qua Christus etiam angelis est adorandus, *1 Petr. III, 22. Ebr. I, 6.* indicet. Equidem, si nomina majestati convenientia quærimus, his Christus neutiquam destituitur. Adpellatur enim *rex regum, & dominus dominorum, Apoc. XIX, 16. rex principum terra, Apoc. I, 5., cui porta in orbe sunt patefacienda, Psal. XXIV, 7. princeps vita, Act. III, 15. caput, & archiepiscopus ecclesiæ, 1 Petr. II, 25.* Taceo nomina plura, quæ ipsi, non, ut regibus terræ, haud raro ornatus causa, tribuuntur, sed plena notatione, & ipso facto competunt, *Ps. XLVIII, 11.* & quorum sensus complexus adeo amplius est & excelsus, *ut nemini, nisi sibi ipsi, nomen ejus perspectum sit, Apoc. XIX, 12.* Verum, summum habere, aut sibi parare, nomen, in s. Scriptura frequentissime idem est, quod: *nominis*

minis celebritatem, & famam, aut gloriæ manifestationem, ad-
quirere. Quo sensu de ipso DEO legitur. *Jerem. XX, 32. Dan.*
IX, 15. Conf. Jos. VII, 9. Videtur ergo Apostolus hac phrasi in-
dicare: Christo datam esse illam majestatem, quæ DEO ipsi
competat; eamque uti in cælis manifesta sit sanctis spiritibus;
ita in terris, per evangelii prædicationem, miraculis insuper con-
firmendam, etiam debere, immo ipsis malignis spiritibus in in-
ferno, & quidem his, quos in pedum scabellum sibi subjecit,
omnique potestate exuit, *Pf. CX, 1. Coloss. II, 15,* cum trepida-
tione, & ultimæ sententiæ condemnatoriæ funesta exspectatione,
manifestari. Quare divus scriptor addit, *quod in nomine JESV*
flexenda sint genua, tam cælicolarum, quam terrestrium, h. e. homi-
num in terris viventium, & *subterraneorum.* Hos, non spiri-
tus in terra, & montium speluncis habitantes, mediæ fortis, qua-
les s. Scriptura ignorat; sed diabolos, & damnatos hominum spi-
ritus esse, facile intelligit, qui observaverit, infernum, tamquam
locum abjectissimum, in scriptura non raro ita pingi, quasi sit
in terræ abyssu. *Ephes. IV, 9. Num. XVI, 30. 33. Jes. XIV, 9. 15.*
Malorum autem spirituum genuflexionem Christo præstandam
impropriam, nec tamen cultum spontaneum reverentiæ, aut
amoris, religiosum, sed captivitatis, & terroris signum, effe-
ctum autem victoriæ, & judiciariæ Christi potestatis esse, nemo,
nisi Apocatastaseos patronus, dubitaverit. Quamdiu vero dam-
natorum spirituum hominumque restitutio ex aliis s. Scripturæ
locis non potest dari evicta, cultus religiosus eorum, Christo
præstandus, & nominis Christi religiosa celebratio, ab iisdem
exspectanda, ex hoc Pauli loco, & *Apoc. V, 13.* perperam exscul-
pitur. Laudant enim, suo modo, omnes creaturæ DEVM,
verum non religiose. Cujus indolis diabolorum sit in nomine
JESV genuflexio? facile cognoscitur e tremore, quo adhuc
exinanitum verebantur, *Matth. VIII, 29. 31. Marc. I, 24 - 27.*
Quid ergo non fiet in ultimo eorum supplicio? *Jud. 6. Apoc.*
XX, 10. Interim, cum sanctorum spirituum, & hominum in
terris viventium, genuflexio in nomine Christi aliud non sit,
quam religiosa Christi exaltati adoratio; Apostolus hanc etiam
ponit *in confessione omnis linguæ, quod dominus JESVS CHRI-*
STVS sit, in gloriam DEI Patris. Hoc nimirum in gloriam
DEI

DEI Patris cedit, quando Filius, etiam qua homo est, honoratur tamquam dominus, cui Pater tradidit in manus omnia, summam etiam iudicis universalis auctoritatem. Qui Filium ita non honorat, ille eo ipso iustum quoque Patri honorem negat, *Joann. V, 2. 23.* JESVM ergo dominum, & æternum regem esse, suis linguis, nobis licet in hac vita ignotis, fatentur & concelebrant angeli, transvecti item ad cælestem patriam homines. Fateri idem, & quod JESVS caput ecclesiæ, & unicus pacificator sit, homines debent, in hac vita constituti, ex omnibus terræ gentibus per evangelium ad Christum congregati, cupientesque salvari. His oportet credi *Dux suæ salutis, Ebr II, 10. unica spes gloriæ, Coloss. I, 27. lapis angularis, supra quem adificentur, 1 Petr. II, 7. Quia non est in alio ullo salus, neque nomen aliud, sub cælo datum, in quo oporteat nos salvari, Actor. IV, 12.* Hac fide, non minus, quam obedientia, vitæ sanctimonia, spe & fiducia, precibus, laudibus, hymnisque, ab ecclesia glorificandus est; donec, rediens de cælo, illam ad se adsument, & militantis, mutabit in triumphantis faciem.


Hoc autem præcipue vobis, C. A. meditandum commendo, ut solatium, quod e Christi exaltatione nobis non potest non promanare uberrimum, spirituali cum gaudio gustetis. Quantane felicitas est, JESVM nosse nostrum Goëlem, carnis nostræ consortem, nostrum caput, nostrum interpellatorem, ad dextram DEI collocatum? Quid non faciet pro nobis, sanguine sibi nexis, sui que corporis membris? *Ephes. V, 30.* Quantane bona nobis a Patre procurabit? *Joan. XVI, 23.* Quamne facilem nobis parabit ad conciliatum Patrem aditum! *Ephes. II, 13.* Quid negabit precantibus fide, veritate, & spiritu? Rex est, cuncta moderatur omnipotens; nosne tutabitur ipsi adherentes? Quis nobis poterit hostis nocere? *1 Petr. III, 13.* Quis nos ei eripere? *Jo. X, 28.* Quis, opitulante ipso, nos opprimere? Adest nobis Immanuel! ejus nostra est victoria; ut ingeminemus audacter: *mors, ubi aculeus? inferne, ubi victoria tua? 1 Cor. XV, 55.* Præstabit nos viventes & morientes sua virtute incolumes, & e sepulcris olim suscitabit potentissime, ut *similes simus, corpori suo glorificato, Philipp. III, 21. Manifestabimur cum ipso in gloria, Coloss. III, 4.* Quanta tandem

tandem nostra, a rege nostro exaltato promissa, futura sit in altera vita, exaltatio? quis satis existimabit aut eloquetur? *Dabit enim illis, qui vicerunt, ut sedeant secum in throno suo, sicut ipse vicit, & confedit cum Patre suo in throno ipsius, Apoc. III, 21.* Itaque operam date, ut Christo, capiti vestro, fide & amore membra innectamini, regi vestro, obediatis, domino serviatis, ab omni, quod ei displicet, vobis caveatis, spiritui ejus sancto morem geratis, & gloriam ejus tota vita vestra amplificetis! Ita facientes, eritis in his, pro quibus preces fudit *Joan. XVII, 24. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi sum ego, etiam illi sint mecum, ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi!* Concludo verbis **BERNHARDI**:

<i>Rex virtutum, rex gloria,</i>	<i>Jesus ad Patrem rediit,</i>
<i>Rex insignis victoria,</i>	<i>Cæleste numen subiit,</i>
<i>JESU, largitor venia,</i>	<i>Cor meum a me transiit,</i>
<i>Honor cælestis patriæ!</i>	<i>Post Jesum simul abiit.</i>
<i>Te Cæli Chorus prædicat,</i>	<i>Quem prosequemur laudibus,</i>
<i>Et tuas laudes replicat:</i>	<i>Votis, hymnis, & precibus,</i>
<i>Jesus orbem lætificat,</i>	<i>Ut nos donet cælestibus</i>
<i>Et nos DEO pacificat.</i>	<i>Cum ipso frui sedibus!</i>

PP, Sub sigillo Reſtorali, Fer. I, Paſch,
A. R. S. MDCCL.





DEI Patris cedit, quando Filius, etiam qua homo est, honoratur tamquam dominus, cui Pater tradidit in manus omnia, summam etiam iudicis universalis auctoritatem. Qui Filium ita non honorat, ille eo ipso iustum quoque Patri honorem negat, *Joann. V, 2. 23.* JESVM ergo dominum, & æternum regem esse, suis linguis, nobis licet in hac vita ignotis, fatentur & concelebrant angeli, transvecti item ad cœlestem patriam homines. Fateri idem, & quod JESVS caput ecclesiæ, & unicus pacificator sit, homines debent, in hac vita constituti, ex omnibus terræ gentibus per evangelium ad Christum congregati, cupientesque salvari. His oportet credi *Dux suæ salutis, Ebr II, 10. unica spes gloriæ, Coloss. I, 27. lapis angularis, supra quem adificentur, 1 Petr. II, 7. Quia non est in alio ullo salus, neque nomen aliud, sub cœlo datum, in quo oporteat nos salvari, Act. IV, 12.* Hac fide, non minus, quam obedientia, vitæ sanctimonia, spe & fiducia, precibus, laudibus, hymnisque, ab ecclesia glorificandus est; donec, rediens de cœlo, illam ad se adsumet, & militantis, mutabit in triumphantis faciem.

Hoc autem præcipue vobis, C. A. meditandum commendo, ut solatium, quod e Christi exaltatione nobis non potest non promanare uberrimum, spirituali cum gaudiò gustetis. Quantane felicitas est, JESVM nosse nostrum Gœlem, carnis nostræ confortem, nostrum caput, nostrum interpellatorem, ad dextram DEI collocatum? Quid non faciet pro nobis, sanguine sibi nexis, sui que corporis membris? *Ephes. V, 30.* Quantane bona nobis a Patre procurabit? *Joan. XVI, 23.* Quamne facilem nobis parabit ad conciliatum Patrem aditum! *Ephes. II, 13.* Quid negabit precantibus fide, veritate, & spiritu? Rex est, cuncta moderatur omnipotens; nosne tutabitur ipsi adherentes? Quis nobis poterit hostis nocere? *1 Petr. III, 13.* Quis nos ei eripere? *Jo. X, 28.* Quis, opitulante ipso, nos opprimere? Adest nobis Immanuel! ejus nostra est victoria; ut ingeminemus audacter; *mors, ubi aculeus? inferne, ubi victoria tua? 1 Cor. XV, 55.* Præstabit nos viventes & morientes sua virtute incolumes, & e sepulcris olim suscitabit potentissime, ut *similes simus, corpori suo glorificato, Philipp. III, 21. Manifestabimur cum ipso in gloria, Coloss. III, 4.* Quanta tandem

